



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1. Quod sit resurrectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Instin.
Iren.
Euthym.

quæst. 76. ad Orthodoxos, & indicant Irenæus, & alij antiqui, qui existimant, animas hominum expectare in paradyso terrestri, vsque ad corporum resurrectionem, vt suam beatitudinem recipiant: præsertim ita exponit Euthym. in fauorem illius sententia, Luc. 23.

Responsio.
Christi anima per triduum in inferno fuit.
Matth. 12.

Nihilominus veritas est: Christi animam in inferno fuisse toto illo triduo, donec ascendit, vt corpori vniretur hora resurrectionis. Veritatem hanc non minus certam existimo, quam quod Christus in infernum descendit. Nam loca scripturæ supra citata, vt rumq; eodem fere modo conuincunt, præsertim ille Matth. 12. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod dictum esse ratione animæ descendit ad inferos, supra ex ipsis verbis, & ex sanctis Patribus ostendimus: & tamen ibi non solum dicit Christus se descensurum in cor terræ: sed etiam ibi per triduum futurum. Idem probant verba Psal. 15. prout exponuntur à Petro Act. 2. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam prouidens (inquit Petrus) loquutus est de resurrectione Christi. Igitur nõ est ibi derelictus, quia exiuit inde, vt resurgeret, ibi ergo vsque ad resurrectionem mansit.* Vnde eodem loco ait Petrus. *Quem Deus suscitauit, solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri eum.* Tunc ergo solutus est à loco inferni, quãdo suscitatus est. Ac tandem Paulus ad Roman. 10. *Quis (inquit) descendit in abyssum? id est Christum à mortuis reuocare.* Ac si aperte diceret, tunc Christum ex abyssu reductum, quando à mortuis reuocatus est. Constat ergo ex scriptura, Christum mansisse in inferno vsque ad horam resurrectionis, quam ita etiam intellexerunt omnes Patres supra citati. Inter quos manifeste August. epist. 57. dicit animam ex inferno remeasse in die resurrectionis. Vnde ex dictis verbis Christi, *Hodie mecum eris in Paradyso*, colligit in inferno fuisse paradysum. Item Iren. lib. 5. contra Hæres. c. 31. & Tertul. lib. de anima c. 55. ac Petrus Chrysol. serm. 64. explicans verba illa, *Ecce terram otus factus est magnus.* (quæ de die resurrectionis dicta fuerunt) inquit. *Tremuit terra, non quia angelus descendit de celo: sed quia ab inferno Dominator ascendit.* Denique omnes Scholastici in 3. d. 12. in hac veritate consentiunt Rationes vero, seu congruentia ad hoc confirmandum: ex priori parte huius sectionis sufficienter peti possunt.

Psal. 15.
Act. 2.

Rom. 10.

August.
Luc. 21.
Irena.

Tertul.
Chrysol.
Matth. 12.

Orig.

Ad coniecturam Nicephori respondetur, Christi animam non fuisse detentam in inferno in pœnam: sed solum, vt expectaret corporis sui resurrectionem, quam oportebat aliquo tempore differri, vt eius veritas euidentius probaretur. Et eadem ratione detentæ sunt etiam aliorum animæ, non iam in pœnam: sed vt Dominum suum comitarentur: & quia non decebat ante ipsum aliquem exire. Ad illud vero testimonium, *Hodie mecum eris in Paradyso*, Origenes tom. 2. in Ioannem in fine dupliciter respondet. Primo, illud *hodie*, non sumi proprie pro presenti die, sed pro præsentis tempore, vel seculo. Sed hoc est contra proprietatem verbi, & sensum Sãctorum, & Ecclesiæ. Secundo, fortasse Christum prius iussit ad Paradysum, vt impleteret promissum, & deinde descendisse in infernum. Sed hoc est gratis confictum contra omnia in superioribus tractata.

Aliter interpretabantur alij, quos Theophyl. refert, scilicet Christum dixisse, *hodie*, non quia eodem die id futurum esset, sed ad indicandam certitudinem promissionis. Sed hæc expositio non solum proprietatem verborum destruit, sed etiam veritatem. Verba enim Christi non continent prophetiam de futuro, in quo solet interdum præsens pro futuro poni, sed simplicem promissionem, quæ si non fuit impleta, prout facta est, non fuit vera. Alij exponebant, coniungendo dictionem *hodie*, cum anteceden- tibus verbis, hoc modo, *Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c.* sed est elusio potius scripturæ, quam inter-

Fr. Suarez tom. 3.

pretatio. Sic enim sine fructu adiecisset Christus illam temporis determinationem, in qua posita est magna vis, & energia illorum verborum. Quia enim latro petierat, vt Christus recordaretur sui, quando veniret in regnum suum: ideo Christus eum docuit eodem die fuisse implendam petitionem eius. Dicendum ergo est, iuxta superius tractata. q. 46. art. 11. in commen. paradysum in illis verbis non sumi pro paradyso terrestri: sed pro gloria, ac beatitudine: iuxta illud Apocal. *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradyso Dei mei.* Dices: Si licet metaphoricè interpretari paradysum, cum Christus dicit se futurum in paradyso, licebit etiam metaphoricè interpretari infernum, vel descensum, cum Christus dicitur descendisse in infernum. Respondetur, non esse eandem rationem. Primo, quia ex frequentiori vsu illius vocis *infernus*, tam in nouo quam veteri testamento, item ex multitudine testimoniorum, & ex eorum contextu, & circumstantijs, ac denique ex Ecclesiæ, ac Sãctorum sensu, & interpretatione constat, descensum ad inferos proprie esse intelligendum: at vox *paradyus*, licet in primæua significatione locum amœnum, vel pomarium significet: tamen in scriptura, præsertim in nouo testamento translata est ad significandum locum beatitudinis: vt patet etiam 2. ad Cor. 12. Ac præterea ex circumstantijs eiusdem loci constat ita esse intelligendum. Quia latro non petebat esse in pomario: sed in regno Christi, & hoc illi promisit Christus sub nomine *paradysi*, simul significans latroni regnum suum non esse de hoc mundo, sed in cœlesti beatitudine. Et ita etiam ibi interpretantur Ambrosius, Theophylactus, & alij expofitores.

Ambros.
Theoph.

QVÆSTIO LIII.

De resurrectione Christi, in quatuor articulos diuisa.



Consequenter considerandum est de his, quæ pertinent ad exaltationem Christi. Et primo, de eius resurrectione. Secundo, de eius ascensione. Tertio, de eius sessione ad dexteram Patris. Quarto, de iudiciaria potestate ipsius.

Circa primum occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de ipsa Christi resurrectione. Secunda, de qualitate resurgenti. Tertia, de manifestatione resurrectionis. Quarta, de eius causalitate. Circa primum quaruntur quatuor.

- Primo, de necessitate resurrectionis eius.
- Secundo, de tempore.
- Tertio, de ordine.
- Quarto, de causa.

DISPUTATIO XLIV.

In octo sectiones distributa.

De resurrectione secundum se.



Qst tractatum de Christi passione, & morte incipit D. Thomas consequenti ordine de Christi resurrectione differere. Quia vero resurrectionis ratio vniuersalis est (Christo enim, & aliis conuenire potest) necessarium visum est, nonnulla præmittere resurrectioni Christi, nostræq; communia. Quoniam ex eorum cognitione pendet fere omnia, quæ de Christi resurrectione tractanda sunt. Dicemus ergo quid nomine resurrectionis intelligamus, & an possibilis sit, & qua virtute.

SECTIO I.

Quid sit resurrectio, quæue sint ad veram resurrectionem necessaria.

Q9 3

Inqui.

*Resurrectio
nis deseri-
ptio.*

Inquirimus prius, quid sit, quam an sit resurre-
ctio. Quia oportebat vocis significationem
ante omnia explicare, quod non potest brevius, &
clarius fieri, quam inuestigando simul rei quiddi-
tatem. Suppono igitur primo, resurrectionem
esse mutationem substantialem, qua id, quod prius
extiterat, & corruptum erat, idem iterum pro-
ducitur. Hoc constat ex communi usu huius vocis,
præsertim in scriptura, & sanctis patribus, & Ecce-
lesiasticis doctoribus, à quibus potissimum sumenda
est huius vocis significatio, quia non tam Latina est,
quam Ecclesiastica. Apud Latinos enim veteres non
reperitur resurrectionis vox, præsertim in hac signi-
ficatione. Neque mirum est, quod, cum rem non
agnouerint, nec vocem indiderint. Vnde licet in-
terdum vtantur verbo *resurgendi*, non tamen in ea
proprietas, quam descripsimus, sed vt significat in-
staurationem, seu restitutionem rei ad priorem sta-
tum, quamuis non idem numero quod perierat,
reparetur. Vt autem posita descriptio constet, singu-
la pene verba expendenda sunt. Dicimus enim in
primis resurrectionem esse mutationem, in quo à
creatione, seu potius à recreatione distinguitur. Si
enim Deus Angelum vel hominem semel produ-
ctum in nihilum redigeret, rursusq; illum postea
produceret, esset illa recreatio, seu restitutio eiusdē
rei, quæ antea fuerat, in quo cum resurrectione con-
ueniret: non tamen foret resurrectio prout nunc
loquimur, quia non esset mutatio, sed simplex effe-
ctio ex nihilo. Est ergo de ratione resurrectionis, vt
sit propria mutatio, atque adeo, vt fiat ex præsuppo-
sita materia, seu subiecto: in hoc enim differt pro-
pria mutatio à simplici effectione, quæ mutationem
non includit. Quod si quis contendat, illam quoq;
simplicem reproductionem ex nihilo, posse resur-
rectionem dici, de nomine tantum quætionem agi-
tabit. Quia certum est, illam actionem conuenire
in hoc cum resurrectione, quod sit reproductio rei,
quæ antea erat: tamen etiam constat hanc reprodu-
ctionem, cum sit ex subiecto adhuc permanente,
esse diuersæ rationis, & esse proprie mutationem, &
posse propria aliqua voce significari. In hac ergo si-
gnificatione vtimur resurrectionis voce. Sic enim
illa vtuntur scriptura, & Patres, vt videbimus. Et ra-
tio adiungi potest, quia sicut res creatæ secundum
legem ordinariam non annihilantur, ita neque re-
producentur ex nihilo. Vnde si aliquid quod prius
fuerat, iterum producitur, semper fit per mutatio-
nem aliquam ex præsupposito subiecto: resurrectio
autem non significat quamcunque reproductionē
absolute possibilem, sed secundum potentiam, aut
legem ordinariam, est ergo resurrectio mutatio ex
subiecto.

*Resurrectio
in rebus tā-
tum materi-
alibus pro-
prio reperi-
tur.*

Ex quod colligitur primo, resurrectionem tan-
tum habere locum in rebus ex materia, formaque
compositis. Quia tantum hæ res possunt ex præsup-
posito subiecto produci, vel reproducere. Est tamen
considerandum interdum hanc vocem attribui rei
spirituali seu ratione partis spiritualis, quomodo di-
citur homo resurgere spiritualiter, quando à statu
peccati ad statum gratiæ restituitur: sed illa est me-
taphorica significatio, tum quia ibi reuera non re-
paratur eadem numero gratia, quæ desiderat esse. tū
etiam quia idem homo simpliciter permansit, solū
secundum quædam accidentia mutatus est. Dicitur
ergo tunc resurgere homo ea Latina significatione
supra posita, qua resurgere dicitur, quod ad melio-
rem statum, quam prius habuerat, restituitur. Se-
cundo obseruandum, posse intelligi, vt in eodem
subiecto idem numero accidens, quod destructum
fuerat, iterum producatur per mutationem ex sub-
iecto resurrectioni similē (quod mutationis genus
etiam in spiritualibus rebus reperiri potest, vt con-
stat: tamen sicut esse, & productio accidentis non
sunt talia simpliciter, sed secundum quid, ita restau-

A ratio eiusdem accidentis non est simpliciter repa-
ratio, sed secundum quid, & ideo non significatur
absolute nomine resurrectionis. Igitur resurrectio
simpliciter dicta mutationem substantialem signi-
ficat (vt dixi) ac propterea solum habet locum in
substantijs ex materia, formaq; compositis.

Ex quo vltèrius sequitur, non in quacunque re
materiali, sed in corruptibilibus tantū resurrectio-
nem habere locum. Primo quidem: quia productio
ex præsupposito subiecto, proprie non habet locum
nisi in re generabili, & corruptibili, ergo nec repro-
ductio. Deinde quia oportet (vt dixi) vt hæc mu-
tatio tendat ad producendam rem, quæ prius exti-
terat, corruptaq; fuerat. Quia nisi esset destructa, nō
esset capax reproductionis, & nisi destructa fuisset
per corruptionem, non mansisset subiectum, ex quo
iterū produci posset: Necessè ergo est, vt corruptio,
seu mors resurrectionē antecedit, sicut ergo corruptio
non habet locum, nisi in re corruptibili, ita neq;
resurrectio. Dices. Posset Deus destruere cælum se-
parando formam, & cōseruando materiam, ex qua
posset iterum illud reproducere, ergo habet locum
resurrectio in re incorruptibili. Respondetur illud
esse præter naturas rerum, tamen in eo genere mu-
tationis, sicut cælum est reparabile per actionem ex
materia in ordine ad diuinā potentiam, ita in ordi-
ne ad eandem dici potest corruptibile, seu dissolubi-
le, eius materia manente. Omisissis tamen his extra-
ordinarijs miraculis, resurrectio de potentia ordina-
ria (vt loquimur) solum in substantijs corruptibili-
bus locum habet, vt satis probatum est.

C Sed aduertendū est huiusmodi substantias mul-
tiplices esse: & in omnibus intelligi posse huiusmo-
di mutationis genus, quamquam non omnes etiam
Catholici illud admittant, sine fundamento tamen,
vt postea videbimus. Resurrectionis ergo nomen,
generaliter sumptum ad omnes huiusmodi res ac-
commodari potest, frequētius tamen dicitur de re-
bus animatis, sed maxime de homine, qui veluti per
antonomasiā proprie resurgere dicitur, & hoc mo-
do vtimur fere semper hac voce simpliciter dicta.
Et ratio reddi potest. Quia (vt dixi) hæc vox vsurpa-
ta est ad significandam hanc mutationem, vt interdum
à Deo solita est fieri. Solent autem fieri proprie
hominum resurrectiones, non autem aliarum rerum,
vt constat ex canonica, & ecclesiastica historia.
Quod si interdum fortasse leguntur res aliæ, vel ani-
malia mortua repente miraculose excitata, non est
necessè credere tunc idem numero, quod exciderat,
cum eadem forma excitari: cum neq; ex effectibus,
& signis colligi id possit, neq; ad aliquem finem sit
necessarium. In quo est magna differentia inter ho-
mines, & res alias corruptibiles. In homine enim
forma separata à corpore manet, & est immortalis,
& ideo multiplicatio animarū, & hominum non est
omnino per accidens, sed per se ex intētionē nature,
vt notauit D. Thom. 1. p. quæst. 68. art. 1. Vnde quia
resurrectio, vt sic, nō tēdit ad multiplicationem, sed
ad reparationem eius, quod ceciderat, quando ho-
mo suscitatur, necesse est, vt eadem anima, quæ man-
ferat separata, iterum corpori vniatur, vt idem ho-
mo resurgat: At vero in alijs rebus, quando corrup-
puntur, formæ omnino pereunt, ac desinunt esse, &
ideo earum multiplicatio est tantum per accidens
ad conseruationem spei. Atq; eadem ratione, si ali-
quando post corruptionem subito excitari viden-
tur, non est necesse, quod in eodem indiuiduo, sed in
eadem specie resurgant, quia ad finem intentum nō
magis refert vnum indiuiduū, quam aliud. Resur-
rectio ergo simpliciter dicta tantum in hominibus re-
gulariter locum habet. Et hoc sensu semper de resur-
rectione loquimur.

Ex his satis exposita relinquitur vltima pars in de-
scriptione posita, scilicet oportere, vt per resurrectio-
nem idem homo fiat, qui antea desiderat esse. Nam
si esset

*Resurrectio
in rebus solū
corruptibili-
bus locum
habet.
Obiectio.
Responsio.*

*Solus homo
antonoma-
sticè resurge-
re dicitur
quomodo.*

D. Thom.

si esset aliis, iam non esset resurrectio, sed multiplicatio hominum, nouaque generatio. Sed licet hoc certum sit: tamen in explicanda hac identitate, ex qua ratio resurrectionis pendet, nonnullæ occurrunt difficultates, quæ in sequentibus sectionibus commodius tractabuntur.

SECTIO II.

Vtrum sit necessarium, ut id quod resurgit, eandem numero animam, & materiam habeat.

Quod ad priorem partem sectionis attinet, res est facilis. Nam de anima rationali nulla est controversia propter rationem factam in fine præcedentis sectionis: tamen supposita sententia asserente in homine plures esse animas, & formas substantiales, aliqui existimant non esse necessarium ad veram resurrectionem, ut eadem numero anima sentiens, vel vegetans redeat. Quod necessario sequitur ex eorum opinione, qui negant posse per diuinam potentiam reparari eandem numero formam materialem, dependentem à materia, postquam destructa est. Et licet sit possibile, tamen quoad resurrectionem eiusdem hominis non sit necessarium, probari potest. Quia homo formaliter constituitur per animam rationalem ut sic, non vero per superiores formas. Nihilominus contrarium verum est, ut colligitur ex D. Thom. in 4. d. 44. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. ad 3. Vbi inquit, si in resurrectione non redeat eadem anima sensibilis, non fore idem animal, & consequenter neque eundem hominem. Quia hic homo essentialiter includit, quod si hoc animal: & quia variata parte essentiali, non potest simpliciter manere idem, quod antea erat. Deinde supposita vera sententia, in homine tantum esse vnam formam substantialem, est hoc simpliciter necessarium. Quia non potest eadem numero anima rationalis redire, quin redeat eadem anima vegetans, & sentiens talis hominis, cum sit vna, & eadem, quæ non potest informare secundum vltimum gradum, quin informet secundum omnes. Tum quia in re non distinguuntur hi gradus, tum etiam quia sunt essentialiter subordinati. Denique (etiam si verum esset illas animas esse distinctas, ac materiales) tamen sine dubio possent à Deo iterum produci, ut in sequentibus attingemus. Atque de facto asserendum esset, ita fieri in vera hominis resurrectione, ut sic vere idem numero homo, qui resurgit.

Tota igitur difficultas versatur in posteriori parte questionis, an scilicet necessitate resurrectionis sit eadem materia corporis resurgentis, & mortui. In qua non est dubium de identitate specifica, seu essentiali. Quia cum hæc species materiæ scilicet rerum generabilium, & corruptibilium sit de essentia corporis humani, & consequenter de essentia hominis, si materia corporis resurgentis non esset eiusdem speciei, compositum ex illa non solum non esset idem homo, qui antea fuerat, verum etiam neque esset homo. Non esset ergo illa resurrectio: sed noua productio cuiusdam noui monstri. Vnde sententia Eutichetis, Origenis, & aliorum, qui posuerunt corpora hominum resurgentium futura alterius rationis, quam nunc sunt, vel hoc titulo, hæresis merito damnatur, quod veritatem resurrectionis euertat, quamuis illa hæresis possit aliis modis intelligi ut inferius iterum attingemus. Dubium ergo inter Catholicos solum est de identitate numerica materiæ primæ. Quidam enim existimant, non esse necessarium. Quæ sententia tribuitur Origeni exponenti verba illa Psalm. 1. *Non resurgent impij in iudicio*, ut ex Methodio in dialogo Aglaophon, seu de resurrectione refert Epiphanius. hæres. 64. vbi licet non expressa loquatur de identitate numerica, necesse est tamen saltem de hac intelligi. Nam expresse dicit non requiri idem primum subiectum, & hoc modo defendit hanc sententiam Durandus 4. distinctione.

Orig.
Method.
Epiphanius.

Durand.

44. q. 1. Cuius fundamentum est, quia forma est, quæ dat composito esse, & vnitatem. Materia enim, cum de se sit pura potentia, ab hac forma habet, quod sit hæc, & quod distinguatur ab alia, quia sicut totum esse eius est à forma, ita identitas, & diuersitas actualis, ergo quocumque est sub eadem formâ idem compositum resultat: ergo, ut sit vera resurrectio eiusdem hominis, satis est, quod anima sit eadem. Et confirmatur primo, quia in homine per nutritionem variatur materia, & fortasse per aliquot annos tota variatur: & nihilominus manet semper idem homo: ergo similiter esset idem homo, si iterum produceretur ex eadem anima compositus, quâuis materia esset diuersa, ergo esset vera resurrectio. Et hoc argumentum ampliat valde Origenes apud Methodium supra, inquirens, si materia futura est eadem in resurrectione, an sit illa, quâ homo habuit in pueritia, vel in senectute, quia materia semper fluit. Confirmatur secundo, quia alias si duo homines successiue habuissent eandem materiam, non possent postea simul resurgere. Quia non posset vtrique eadem materia tribui sine nouo saltu miraculo, scilicet quod eadem materia simul sit sub duabus formis, quod Durandus simpliciter impossibile esse iudicat. Similiter qui mortuus esset puer, non posset nisi puer resurgere.

Communis vero sententia est, de necessitate resurrectionis esse, ut corpus resurgentis cõstet ex eadem numero materia, ex qua prius constitit. Ita D. Thom. 4. cont. Gent. c. 81. & quodl. 11. artic. 6. & in 4. disp. 44. qu. 1. art. 1. quæst. 1. vbi Scot. Palud. Capreol. & ceteri Scholastici hanc sententiam amplectuntur. Ratio est, quia sicut materia est de essentia hominis, ita identitas materiæ est de ratione eiusdem hominis. Quod declaratur, refellendo simul præcipuum Durandi fundamentum, in quo repugnantia quadam inuoluere videtur. Materia enim suam propriam entitatem habet, quæ sub diuersis formis manet eadem, alias in generatione nihil maneret in genito quod fuit in corrupto. Quia si aliquid manet, illud est aliqua res: maxime tamen est res, quæ est materia: ergo repugnat, ut materia accipiat totam identitatem, vel diuersitatem à forma. Nam illa entitas, quæ supponitur formæ, de se est eadem vel diuersa. Imo nisi hoc ita sit, in ipsa questione, quam Durandus admittit ut possibilem, inuoluitur repugnantia. Nam si materia hoc ipso quod est sub eadem forma, est eadem, impossibile est, eandem animam informare diuersas materias, quod in proposita dubitatione supponitur. Quod si Durandus dicat materiam, ut puram potentiam esse diuersam: tamen ut est actus, esse eandem, in primis falsum supponit. Quia quantumuis materia consideretur, ut potentia pura in ordine ad actum formalem, necesse est ut in se sit aliqua entitas, ut esse possit vera ac realis potentia passiva. Deinde non expedit difficultatem: quia materia etiam ut pura potentia, est de essentia compositi substantialis, & ideo si illa est diuersa, non erit idem homo, qui resurgit. Et confirmatur, nam transmigratio animarum (quam Pythagorei ponebant) non censetur resurrectio: sed noua generatio, quamuis eadem anima relicto vno corpore aliud informaret, ergo ad resurrectionem non satis est identitas animæ, si distincta sit materia, quam informat, sed erit potius illa quadam animæ transmigratio.

Hæc difficultas pendet multum ex illa questione, an variata materia sub eadem forma sit idem homo, necne. Quæ quidem multum potest esse de nomine, Nam res fere constat, scilicet illum hominem omnino, & quoad omnes partes essentielles non esse eundem: quoad præcipuam vero partem, quæ proprie hominem constituit, esse eundem, & ideo si illa variatio materiæ paulatim fiat, & sub eadem corporis organizatione simpliciter censetur idem homo,

Q. 4 loquen.

D. Thom.
Scotus.
Palud.
Capreolus

Materia
primæ in se
& de se pro-
pria habet
entitatem.

Durand.